

7°. Servare tenentur uti vidimus Regulares festos dies ab Episcopo statutos *sess. 25. c. 12. de Reg.* necnon ad processiones vocati tenentur accedere *ead. sess. c. 13.* dummodo non admodum distent. Excipiuntur qui strictiori clausuræ perpetuo vivunt. Immo possunt compelli etiam per censuras ab Episcopo *S. Cong. C. in Alban. 23. Sept. 1617.* Episcopus autem definiet, appellatione remota, quæstiones quæ circa præcedentiam exoriri possunt inter Regulares *sess. 25. c. 13. de Regul.* — 8°. In omnibus quæ sunt ordinis episcopalis, Regulares subduntur Episcopis, idest in petitione chrismatis, consecratione Ecclesiarum, susceptione ordinum etc. *c. 19. § Chrisma de Præscript.* Quibus addenda est potestas circa litteras dimissoriales ad Episcopum viciniorem *Trid. sess. 23. c. 10. de Regul.* de qua re locuti sumus in tit. XI. hujus Libri. — 9°. Subduntur Episcopo regulares curam animarum exercentes, et Episcopus in eos animadvertet, nisi verbum Dei prædicent, et munera parochialia rite obeant *c. 2. sess. 5. de Ref.* et Const. s. Pii V. *Exposita* diei 22. Septemb. 1571.

187. Relate ad moniales 1°. in *c. Periculoso un. De statu Reg. in 6. et in c. 5. sess. 25. de Regul.* quoad ea quæ pertinent ad clausuram monialium tribuitur Episcopis plenissima potestas, ita ut in monasteriis sibi subjectis propria, in exemptis autem procedere possint auctoritate Delegatorum Apostolicæ Sedis censuris etiam adhibitis. — 2°. Monasteria etiam exempta monialium subduntur Episcopis pro administratione bonorum juxta Const. Gregorii XV. *Inscrutabili nobis* 18. tom. 3. Bull. ita ut ipsæ regulares delinquentes circa administrationem hanc possint ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato corrigi et puniri. — 3°. Ex eadem Const. Greg. § *Ac similiter* possunt Episcopi una cum superioribus regularibus interesse et præsidere electioni Abbatissæ. — 4°. Ex *c. 7. sess. 25. de Reg.* Episcopis datum est ut possint ante susceptionem habitus religionis et ante professionem explorare voluntatem puellarum Deo dicandarum.

188. De visitatione sacrorum Liminum Apostolorum. — Antiquitus Episcopi romanum iter aggrediebantur, et sacra limina Apostolorum devotionis gratia visitabant; deinde sensim sine sensu vi muneris sui incæperunt obligari ad hanc visitationem perficiendam, quemadmodum infertur ex *c. 4. de Jurejurando* in quo exhibetur formula juramenti præstandi a novis Episcopis. In ea enim formula novus Episcopus spondet se visitaturum limina Apo-

stolorum. Verum visitatio hujusmodi fieri debebat solummodo ut propriam reverentiam exhiberent Apostolis Petro et Paulo, preces fundendo ad eorum sepulchra in respectivis Basilicis, et obedientiæ et subjectionis signum manifestarent erga Cathedram romanam; quemadmodum conjici potest ex *can. 4. dist. 93.* et ex Gratiano ad *can. 3. ejusdem distinct.* Tandem inductum est ut capta occasione ejusdem visitationis Episcopi Ecclesiarum suarum et administrationis pastoralis rationem referrent et statum Dioceseos describerent, quæstiones et dubia proponerent. Sixtus V. vero Const. quæ incipit '*Romanus Pontifex*' data die 20. Decemb. 1585. veterem obligationem Episcoporum confirmans, et melius regulam servandam determinans, statuit, ut omnes Patriarchæ, Primate, Archiepiscopi et Episcopi, licet fuerint S. R. E. Cardinales, ante munus consecrationis suscipiendum tenerentur jurejurando spondere se statis temporibus limina ss. Petri et Pauli personaliter visitaturos, et legitimo obstaculo impeditos, per procuratorem speciali mandato munitum. Tempora autem adsignata in prædicta Bulla sunt: ut nempe Episcopi Italiæ et insularum et provinciarum adjacentium ac etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione sunt ipsius Italiæ et Siciliæ, teneantur visitationem exequi tertio quoque anno; Germani vero Galli et Hispani, Belgæ, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni, necnon ceteri omnes qui in Europa sunt circa mare germanicum et balticum ac omnium insularum maris mediterranei quarto quoque anno; remotiores vero qui intra fines Europæ sunt et Africani, nec non insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europæ et Africæ citra Continentem novi orbis quinto quoque anno; Asiatici vero et qui in aliis mundi partibus degunt decimo quoque anno.

189. Contra autem Episcopos, qui dispositioni suæ non obtemperaverint, Sixtus V. decernit 'eos ab ingressu Ecclesiæ ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum a Capitulis eorum, omni exceptione remota, et mora cessante interim libere exigendorum, et in opus fabricæ seu ornamentorum Ecclesiarum emptione, prout major necessitas exegerit insumendorum, ipso facto tandiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede prædicta meruerint obtinere'. Hæc porro sanctio, quoniam non est vera censura suspensionis a divinis, sed potius refert pœnæ indolem, non fuit ab-

rogata a Const. *Apostolicæ Sedis*. Animadvertendum insuper est obligationem visitationis sacrorum liminum et relationis faciendæ Benedictum XIV. extendisse etiam ad Abbates habentes Monasterium seu Ecclesiam cum jurisdictione quasi-episcopali in territorio separato. Ita in Const. ejusdem Pontificis '*Quod sancta*' diei 23. Nov. 1740. Porro ex alia Const. ejusdem Pontificis '*Immensa æterni Dei*' relatio status Diœceseos tradenda est s. Congregationi Concilii, cui officium incumbit relationem expendendi et postulatis respondendi.

190. Vicarii autem Apostolici relationem Vicariatus exhibent S. Congregationi De Propag. Fide; et quamvis in aliquibus regionibus restituta sit hierarchia episcopalis, tamen Episcopi illarum regionum, quoniam conservant dependentiam a S. Cong. de Propag. Fide, eidem suas relationes exhibent. Ita Episcopi Angli ex Const. Pii IX. *Universalis* diei 29. Sept. 1850., Episcopi Hollandiæ ex Const. ejusdem Pontif. *Ex quo* diei 4. Martii 1855., Episcopi Scotiæ ex Litteris Apostolicis Leonis XIII. *Ex supremo Apostolatus* IV. Nonas Martii 1878. Exceptio vero facta est quoad Bosniam et Erzegovinam. Nam in Litteris Apostolicis *Ex hac angusta* Leonis XIII. III. Nonas Julii an. 1881. § *Si igitur* summus Pontifex Episcopis onus imponit relationem Diœcesum faciendi, nec ullam habet mentionem de S. Congregatione de Propag. Fide, ideoque intrat regula antiqua generalis pro Episcopis ordinariis locorum dirigendi relationem ad S. Congregationem Concilii.

191. Ne autem in status Ecclesiæ descriptione incerto Episcopi vagarentur pede, in Conc. Romano an. 1725. sub Bened. XIII. statutum est, ut ederetur instructio a S. Cong. Conc. quæ designaret normam relationis hujus perficiendæ. Hæc instructio reperitur in *append. tom. 4. Bullar. Bened. XIV.* Novem continet capita et per singula tum quoad materiale Ecclesiarum statum, tum quoad spiritualem, tum quoad Clericos sæculares, tum quoad regulares et exemptos et moniales omnia indicantur quæ explicare et declarare debeat Episcopus. Hac de re qui plura desiderat adeat opus ab Angelo Lucidi, Pio IX. auspice, editum an. 1856. quod *De visitatione Sacror. Liminum* inscribitur.

#### De Prælati inferioribus.

192. Præter Episcopos jus nostrum alios Prælatos agnoscit, qui licet caractere episcopali non decorentur, et sint simplices pres-

byteri, tamen jurisdictione ordinaria gaudent in utroque foro, et eorum potestas episcopalem potestatem imitatur. Hi communiter appellantur Abbates vel Prælati inferiores. A doctoribus triplex species horum Prælatorum distingui solet, et de his agit Bened. XIV. *De Syn. l. 2. c. XI.* Prima species seu infima est eorum, qui præsumt certo generi personarum commorantium intra septa alicujus monasterii vel Ecclesiæ cum passiva exemptione a jurisdictione Episcopi, et immediate subsunt Rom. Pontifici. Tales sunt Superiores regulares, et Prælati sæculares cum suo Clero in Ecclesiis collegialibus exemptis, de qua re exemplum habemus in *c. 5. de Consuet.*

193. Secunda species seu media est eorum Prælatorum qui habent jurisdictionem activam in Clerum et populum alicujus loci qui tamen continetur intra fines alicujus Diœceseos, a qua undique circumscribitur. Prælati hujusmodi improprie tantum et lato sensu dicuntur *Nullius*.

194. Tertia species idest suprema est eorum Prælatorum qui jurisdictionem activam habent in Clerum et populum alicujus loci seu oppidi, vel aliquorum locorum vel oppidorum, quæ constituunt territorium proprium et separatum a cujuslibet Episcopi Diœcesi, quæ proinde constituunt *Quasi-Diœcesim*, ubi Prælati, iis exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, omnia fere potest exercere quæ ceteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinent. Isti dicuntur Prælati proprie *Nullius* et Ordinariis locorum accensentur. Verum a jure communi plura prohibentur non solum Prælati secundæ speciei, sed etiam Prælati vere *Nullius*. Sic ex. gr. uti vidimus, non possunt Synodum convocare, uti probat ex resolutionibus S. Congreg. *Benedictus XIV. l. c. n. 5.* Neque possunt indicare concursum ad Ecclesias Parochiales, eo quia ex Tridentino *sess. 24. c. 18.* examen faciendum est coram examinatore synodalibus; et tenuit in terminis pluries S. Congr. Conc. *Lib. 6. Decretor. pag. 91. et lib. XI. pag. 163.* Quoad limitationem Abbatum in ordinationibus et litteris dimissorialibus jam vidimus supra. Cfr. *Petra in Const. 4. Callisti III. sect. 1. tom. 3., et Const. Bened. XIV. Inter multa diei 24. April. 1747. et Lucidi de Visit. Sacr. Lim. tom. 1. cap. 6. §. 3.*

Jure Decretalium potestate ordinaria in Diœcesi fruebantur Archidiaconus et Archipresbyter. De hisce vero gradibus jurisdictionis ordinariæ egimus in suis titulis.

195. Aliquid dicendum remanet de Parochis. Horum institutio antiquissima est, quamvis non ita nomen: nam appellativo nomine presbyteri vel sacerdotis exprimebantur. Ita in Syn. Diœc. Antisiodoren. an. 578. et ita in Conc. Liptinen. an. 743. Pariter antiquitus cura animarum non induebat naturam potestatis ordinariæ, sed potius dici poterat officium quod Episcopus modo uni modo alteri committebat. Hodierno autem jure parochiale munus revera ordinariam dicit jurisdictionem, eam nempe quæ dispositione ipsa juris acquiritur et censetur adnexa ipsi officio. Hæc vero jurisdictio spectato jure communi forum internum proprie et directe respicit. Etenim Parochus repræsentat Episcopum, qua patrem spiritualem fidelium, et paterno more delinquentes redarguit et corrigit. Hinc censuras aut pœnas publica in forma judiciali non fert, nec ab illis absolvit, quamvis hanc potestatem ex consuetudine vel ex privilegio posset adipisci. Officium Parochi præsertim est: 1<sup>o</sup>. ut pro populo suo oret, et Missam celebret quam pro populo applicare debet singulis diebus festis de præcepto et festis quæ suppressa dicuntur *sess. 23. c. 1. de Ref.* et Const. Bened. XIV. '*Cum semper oblatas*' ad Ordinarios Italiæ die 19. Aug. 1744; — 2<sup>o</sup>. ut sacramenta administret; — 3<sup>o</sup>. ut saltem diebus dominicis et festis solemnibus Verbum Dei per se ipsum, vel si fuerit impeditum, per alium prædicet suis fidelibus *c. 2. sess. 5. de Ref.* In *sess. 24. c. 1.* præcipitur Parochis ut librum habeant in quo Matrimonia describant contracta, nempe nomina conjugum et testium et diem et locum contractus. In *c. 2.* vero ejusdem sess. imponitur Parochis onus servandi diligenter librum in quo baptismata collata designentur.

Hæc innuisse sufficiat. Nam de Parochis fusior tractatio exhibetur in Lib. III.

#### TITULUS XXXII.

#### De officio Judicis.

1. Cum de variis speciebus judicum egerit B. Raymundus imitatus ordinem juris civilis in præsentis titulo exponit principia juris, quæ officium commune omnium judicum determinat. Judex est persona legitima, juris et æqui perita, quæstiones definiendi jus habens. Si igitur judex est persona legitima, a publica potestate debet constitui; nec quilibet de populo judicis munere fungi potest, sed vir sapiens debet esse et prudens, nec potest esse conditionis

servilis vel natalium defectu notatus, aut infamis, vel excommunicatus. Error vero communis defectum sanare potest *c. Barborius ff. de Off. Prætor.* Pariter ratione status, judices esse nequeunt Regulares.

2. Titulus inscribitur de Officio judicis. Officium in titulo exprimit usum potestatis decernendi. In hoc usu potestatis judicialis distinguitur imperium a simplici jurisdictione. Imperium enim significat coercionem, id est potestatem coercitivam, qua judex rebelles vel contumaces ad sibi parendum compellit; jurisdictio vero simplex est facultas cognoscendi et decernendi circa bonum jus alterutrius colligantis. Etiam in foro ecclesiastico aliquod imperium adesse debet; secus auctoritas judicis facile sperneretur.

3. Officium vero judicis licet latissimum sit, tamen determinari potest duplici sub genere, et aliud dici potest *nobile*, aliud *mercenarium*. Officium nobile judicis locum habet, cum judex procedit quasi motu proprio jure aut æquitate suadente, seu ut dici solet ex officio, quin ulla proponatur actio judicialis stricte sumpta, quam sequi teneatur. Exempla hujus officii sunt, inquisitio rei post aliquod crimen *c. 17. de Accusat. l. 3. ff. de Off. Prætor.*, datio tutoris, vigilantia ut observetur norma juris communis. Immo etiam requisitus potest judex exercere hoc officium; cum nempe in defectu actionis, ejus auctoritas tanquam remedium extraordinarium imploratur per simplicem recursum ex. gr. cum quis exposcit designationem defensoris contra præpotentem adversarium; vel cum minor generice postulat restitutionem in integrum contra factum proprium ex quo læsionem passus est.

4. Mercenarium vero officium judex exercet, cum ad judicialem instantiam, seu actionem partis judicium aggreditur, prosequitur et absolvit. Porro actio est jus persequendi in judicio quod sibi debetur *Just. § 1. de action.* Hinc actio revera determinat qualitatem et limites judicii; et sententia debet esse actioni respondens, sive eam excipiens sive eandem respuens. Proposita ergo actione, judex in eadem insistere debet, nec ab ea divergere potest, et 'postquam semel sententiam dixit, judex esse desinit... semel enim sive male sive bene, officio functus est'. *L. judex ff. de re jud.* Quare proposita actione, judex ad modum mercenarii qui opus tenetur exequi juxta legem sibi a domino impositam, actioni ipsi inservire debet, et proinde officium ejus est determinatum, et mercenarium dicitur.